


13.

9

DISSE^tRATI^O
INAUGURALIS JURIDICA
E M P H Y T E U S I
PERILLUSTRI, ac QUAM GENEROSO DOMINO,
D. GODEFRIDO, ARNOLDO,
EDMUNDO, IGNATIO,
LIBERO BARONI
DE MERODE AB HAFFALIZE,
Dynastæ Vexilli prærogativâ gaudenti Domino in Frentzen, Drove,
Gudersheim, Franckenberg, Margarathen, Scheven,
& Sechtheim &c. &c.
Serenissimi Principis Electoris Palatini Consiliario Intimo Actuali,
Ducatûs Juliæ in Re Bellica Statuum deputato Commissario, nec non
Toparchiæ Aldenhoviensis Satrapæ Supremo &c.
DOMINO, & PATRONO PERQUAM GRATIOSO
D I C A T A M
IN ALMA, AC PERANTIQUA UNIVERSITATE COLONIENSI
ORDINARIO SUB PRÆSIDIO
Prænobilium, Clarissimorum, Doctissimorumque Virorum
ac Dominorum,
D. GERARDI ERNESTI HAMM
J.U.D. Professoris Publici & Ordinarii, Venerandæ Facultatis Juridice Colon, Dictatoris
NEC NON
D. GUILIELMI DE MONTE
J. U. D. Professoris Publici, & Ordinarii, ejusdēmque Facultatis Fisci.
PRO
Obtinenda in utroque Jure summi Gradus Licentia
In publico Juris Auditorio
Eruditorum Examini submittit
FRANCISCUS HENRICUS NOLDEN Aldenhovius.
Die 19 Novembris 1748.

Coloniæ typis GEREONIS ARNOLDI SCHAUERG.
Cum Privilegiis Veneranda Facult. Juridica.



Wyons fec. Col.

PERILUSTRIS, GENEROSE DOMINE

Domine, ac Patrone perquam Gratiose!

NPalaestram Juridico-Academicam descensurus qualem ex vastissimo Furiisprudentiae oceano feligerem materiam, dubiis omnino agitabar animi procellis; tandem, quasi per medium profundum progrediens, vestigia Imperatoris Zenonis, tanquam discipulus Magistrum secutus, Materiam de Emphyteusi pro ea pescenda in utroque Jure summi gradus Licentia ad statueram Crysis Academicæ appendere, non incongruum esse autumavi; Hæc ne præsidii inops, patrociniisque destituta reperiretur, Hinc, Tibi, Perillustris, Generose Domine, Patrone perquam Gratiose! has Theses meas inaugurales ut primitias studiorum meorum dare, dicare, atque sacrare non abs re esse duxi, ut Tuo præsidii Clypeo inexpugnabili contra malevolos quoscunque Censores firmata, & corroborata existant; Tibi inquam eas dedicandi eo major, quo strictius me devinctum habes, adigit obligatio; Te enim

A 2

Per-

Perillustris, Generose Domine, Patrone perquam Gratiose!
quà Dominum meum Directum submissâ laudo, ac debitâ
recognosco *veneratione*, méque obligatissimum Tuum Em-
phyteutam lubens profiteor; eapropter obligationis meæ im-
plenda ergo Tibi inpræsentiarum hasce pagellas in laude-
mum, debitique obsequii canonem offero, superos, ut
causas avertant, ob quas patrocinium tuum caducare va-
leas, méque gratiâ tuâ excidere faciam, enixè rogaturus.
Fave igitur vive, & vale, atqueimposterum plenissimo Jure
gratiâ tuâ me usurum, fruiturumque spero, qui ad cineres
usque ex affe perenno

Perillustris, Generosæ, ac perquam Gratosæ
Dominationis Tuæ

Servus infimus, ac Cleris
devotissimus

Franc. Henr. Nolden.

THE-



THEISIS I.

Nauguraliter dissertaturus inter cæteras Jurisprudentiæ materias selegi mihi materiam de *Jure Emphyteutico* non tam subtilem, quæm in foro quotidiam, quæ *Emphyteusis* pro contractu sumpta nihil aliud est, quæm contractus bonæ fidei, consensualis, quo prædium colendum, & meliorandum conceditur, ita, ut pro eo non semel aliquid, sed annuatim pensio certa, non pro omni Jure, sed pro plenissimo Jure utendi, fruendi etiam in hæredes transitorio (quod Doctores utile dominium appellant) solvatur, & præstetur in recognitionem Dominii directi. §. 3. *Inst. de locat. & conduct. Bachov. ad dict. sphum.*

II.

Dividitur in Civilem, & Ecclesiasticam, dignoscendam non à persona concedente, sed ab ipsa re in Emphyteusin data.

A 3

Divi-

Dividitur & *exemplo feudi* in hæreditariam, quæ Emphyteutæ pro se, & quibuscumque hæredibus concessa est, & in eam, quæ ex pacto, & providentia est, quæque concessa Emphyteutæ pro se, filiis, & descendantibus. *Quæstionem*, an Emphyteutæ pro se, & hæredibus data, non addendo quibuscumque, ad extraneos hæredes transmitti queat? licet *feudista* in materia feudalí teste *Gail. lib. 2. obs. 154. n. 21.* communiter negative resolvant, affirmativè resolvere, sicque nomine hæredum etiam extraneos intelligere malo, cum in dubio materia hæc Emphyteutica non secundum Jus feudale, sed allodiale regulanda veniat. Nomine hæredum autem in Jure allodiali quoscunque hæredes venire noto notius est. *Zoëf. n. 67. h. t.*

III.

AN Emphyteusis ex pacto, & providentia uni filiorum prælegati: *item* an irrequisito filiorum, vel agnatorum consensu alienari: *uti* *E*, an agnatus vel filius reliquâ hæreditate repudiata in Emphyteusi ex pacto, & providentia succedere possit? ponderosa inter *Doctores* quæstionum trias est: *duas priores* negativè *cum Jason. l. 2. de Jur. Emphyt.* resolvo. *3tiam* verò affirmativè defendere conabor *cum Jason. L. 2. de Jur. Emphyt. 4. f. ante fin. in 3. quæst.* Prout &, quod in hâc Emphyteusi legitimati per rescriptum Principis, si ex investitura Jus succedendi habentes in legitimationem non consenserint, non succedant.

IV.

IV.

Constituit Emphyteusin Dominus liberam rerum suarum administrationem habens; hinc nec pupillus, nec minor, nec furiosus, aut quæcunque persona sub aliorum gubernio stare debens, rem in Emphyteusin concedere potest, imò nec tutores, & curatores pupillorum, & minorennum, Rectorésque Ecclesiarum, nisi vel decretum judicis adsit, aut res in Emphyteusin dari solita. *Zoës. n. 58. h. tit.*

V.

Constituitur Emphyteusis consensu hinc inde p̄stito, etiam nullâ scripturâ interveniente, quidquid quoad hoc contradicere videatur *L. 1. cod. de Jur. Emphyt.* Scripturam enim non aliter ad formam hujus contractūs requiro, quam si desuper expressè inter partes conventum fuerit. *Stryck. in additamento ad tract. de caut. contract p. tot. &c. Bluemlacher de Jur. Emphyt. quæst. 1.* De moribus tamen Ducatum Juliæ, & Montium *in vim ordinat. cap. 106.* Scriptura requiri videtur, ex ratione etiam, quia vita, & memoria testium labilis est, & periculum subesse potest, ne forsitan Emphyteutæ perfidi, aut hæredes eorum, ne dicant pacta conventa, sed & ipsum Jus Emphyteuseos, Domino directo inficiantur. *Mev. part. 3. decis. 189. n. 1. Brunn. ad L. 1. cod. de Jur. Emphyt.*

VI.

VI.

Emphyteusi ritè, & legitimè constitutâ, traditione verò non dum subsecutâ, consequitur Emphyteuta contrâ Dominum Emphyteusin constituentem actionem Emphyteuticariam, seu condictionem ex lege, ad rem in Emphyteusin promissam tradendam, & utile dominium in Emphyteutam transferendum. Datur & eadem actio domino Directo contra Emphyteutam, ut rem in Emphyteusin datam curando, colendoque meliorem servet, quot annis promissam pensionem solvat, laudemque, quamvis de eo expressè actuū non fuerit, præster. *L. 2. cod. de Jur. Emphyt.*

VII.

Re in Emphyteusin concessâ, à Domino Emphyteutæ traditâ, consequitur Emphyteuta utile rei Emphyteuticæ dominium, eique inhärentem utilem in rem actionem contra quemcunque, etiam tertium rei Emphyteuticæ possessorem *L. 1. §. 1. si ager vectig.* Consequitur insuper vi hujus utilis dominii quod penè totam rei absorbet utilitatem, plenissimum Jus utendi, & fruendi ipsâ re in Emphyteusin datâ, percipiendique emolumenta, non tantùm ex ipsa re provenientia, sed & accessiones, imò quod & sors titulo inventionis tribuit. *Valas. q. 15. n. 1. Zoëf. n. 81. h. t.*

VIII.

VIII.

Consequitur vi utilis Domini Emphyteuta, & potestatem servitutem prædio Emphyteutico imponendi, irquisito etiam Domini Directi consensu, ita tamen, ut si ex causa eomissi Emphyteusis extinguatur, prædium Emphyteuticum liberum ad dominum Directum revertatur. *Bluemlach. de Fur. Emphyt. q. II. n. 1.* ut Emphyteuta prædio Emphyteutico servitutem imponere, ita quoque eundem prædium Emphyteuticum alteri sine consensu domini Directi hypothecare posse teneo. *L. 31. ff. de pignor. L. 16. ff. de pignorat. ibiq. Gothofred. Et cum Jul. Clar. §. Emphyteusis q. II.* Ita, ut etiam Emphyteusis sic hypothecata subhastari queat. *Bluemlach. loc. cit. q. 7. n. 1.* Dummodo denunciatio subhastationis domino Directo tempestivè fiat. *Bachov. ad treuth. th. 13. litt. f. h. t.*

IX.

Emphyteusis simpliciter constitutæ ea natura est, ut sit perpetua *L. 10. cod. de locat.* Sitque adhæredes transitoria. Quin tamen ad tempus, aut certum numerum personarum restringi possit, de moribus hodiernis dubium non est. Et licet per successionem dividatur tam quoad prædium Emphyteuticum, quam quoad obligationem solvendi canonem, & recognoscendi dominium Directum.

B

Bachov.

Bachov. ad treuth. th. 13. h. t. Quin tamen individua quoad
præcedentes effectus per paetum fieri possit defendo argto. *L. 2.*
de Jur. Emphyt.

X.

CUm juxta prædeducta vi utilis dominii Emphyteutam omnia
emolumenta sequantur, & regula Juris sit, quod qui sen-
tit commodum, sentire debeat & onus, sequitur quod Emphy-
teuta omnia onera, tum refectionis, tum steerarum, & contributio-
num, tum etiam extraordiniarum inductionum seu collecta-
rum, sive majora, sive minora sint, solus subire teneatur. *Mull.*
th. 68. litt. D. not. 4. si ager vectig. Zoëf. n. 72. h. t. Ita, ut etiam
antecedentium annorum tributa ab antecessoribus non soluta sol-
vere teneatur, eò, quod onera realia sint, & rem sequantur.
Argto L. 7. ff. de public. E' vectig. Zoëf. E' Mull. loc. cit.

XI.

COnsequitur Emphyteuta Emphyteufin sub lege annuae pen-
sionis, seu canonis conventi solvendi; ab hâc solutione
Emphyteutam non liberat sterilitas fructibus contingens. *Gail.*
lib. 2. obs. 32. n. 32. E' seqq. Zoëf. n. 88. h. t. Nec damnum
fatale per bella, incursionses hostium, Chasma, inundationem,
aliámque cladem causatum; nisi annuus canon fructibus condig-
nus

nus solvendus. *Gail.* & *Zoës. loc. cit.* Aut res Emphyteutica sic deteriorata existat, ut usus illius amplius non supersit. *L. 1. cod. de Jur. Emphyt.*

XII.

PRÆMISSE, quid sit Emphyteusis: qui eandem constituere possint: quomodo constituatur: & quinam sint Emphyteuseos Effectus, superest, ut, quomodo & finiatur, seu extinguitur, discurramus. Finitur autem Emphyteusis, seu extinguitur immo totali rei interitu. *L. 1. cod. de Jur. Emphyt.* 2dò finito tempore, seu extinctâ generatione, ad quam concessa, concessa enim ad tempus, eo elapsò censentur denegata. *L. 1. ff. de vulg. & pupill. substit.* 3tiò per ipsam Emphyteuseos commissionem.

XIII.

CAdir enim Emphyteusis in commissum (a.) ex causa pensionis, seu canonis, debito tempore non præstiti, seu soluti, & quidem Emphyteusis Civilis propter cessationem triennalis. *L. 2. cod. de Jur. Emphyt.* Ecclesiastica verò favore Ecclesiæ ob cessationem biennalis solutionis *cap. fin. 2. de locat.* cum hoc tamen discrimine, quod in hac, non in illa celeris moræ purgatio admittatur. *dict cap. fin.* Intrà quod autem tempus hæc celeris moræ purgatio fieri possit, cùm In Jure decisum non sit, Judicis arbitrio relinquo *cum Menoch. 2. cas. 7. n. 13.* An verò, ut evitetur commissum totius canonis solutio

requiratur; an verò aliquid loco canonis quot annis solutum esse sufficiat, posterius non improbabiliter tuebor cum Bachov. ad treuth. th. 12. litt. B. Mull. th. 73. litt. I. si ager vectig.

XIV.

CAdit & Emphyteusis in commissum (s.) ob illicitam ejusdem alienationem, quæ contingit per venditionem non observatâ formâ à L. fin. cod. de Jur. Emphyt. præscriptâ; tenetur enim ex dispositione dict. L. Emphyteuta, si Emphyteusin per venditionem alienare velit, Emphyteusin Domino Directo offerre, spatioque duorum mensium responsum ejusdem exspectare, ipsumque Dominum Directum, si se emptum declaraverit, aliis emporibus præferre, hocque ratione Juris prothymiseos, quo Dominus Directus gaudet; Domino vero Directo spatio duorum mensium se non declarante, taciturnitatem ejusdem pro consensu in alienationem acceptare, ipsamque Emphyteusin alteri vendere poterit. dict. L. fin. cod. de Jur. Emphyt. Tenebiturque Dominus Directus illum, in quem Emphyteusis sic per venditionem translata est, erga solitum laudemium, cujus quantitas de Jure communi pars quinquagesima pretii est, de praxi verò pro varietate locorum variat, investire dict. L. fin. Quæstionem, an eadem solennitas in aliis quoque alienationibus, non venditionibus, cibinieat, negativè resolvo cum Vinn. in select. Jur. quæst. lib.

*lib. 2. cap. 2. Mant. de tacit. Et ambig. Convent. tit. 28.
n. 56. Et seqq. Et n. 69.*

X V.

Committitur demum Emphyteusis (.) ob notabilem rei Emphyteuticæ deteriorationem aut malam versationem tam physicam, quam moralem. *Argto L. 3. cod. de locat. Authent. qui rem. cod. de sacrosanct. Eccles.* cùm talis deterioratio destruat causam finalem, imò & ipsam essentiam contractus Emphyteuseos. *Zoëf. n. 110. h. t.* An Emphyteusi ex aliqua recensitarum causarum extinctâ, in renovatione Emphyteuseos Consanguinei extraneis præferendi sint? de benignitate, non necessitate, affirmativè resolvo *cum Gail. lib. 2. obs. 148. n. 3.* Et seqq. *Zoëf. n. ult. h. t.* Emphyteusi prædictis modis caducatâ servitutem medio tempore ab Emphyteutâ impositam quoque extingui suprà th. 8vā diximus; quæstio autem remanet, an servitus contra Emphyteutam præscripta, Emphyteusi commissâ quoque extinguatur? ad quam *cum Blumlach. de Jur. Emphyt. q. II. n. 3.* negativè respondeo.

X VI.

Quæstio inter Doctores est, an, cùm compensatio mutuum hinc inde debitum ipso Jure extinguat: extinguat quoque

que debitum canonis, ità, ut Emphyteusis in commissum non cadat? & ad hanc negativè respondeo *cum Zoëf. n. 80. h. t.* Eò, quòd debita diversi generis sint, sìcque inter se non compensabilia, si tamen currente biennio, aut respectivè triennio Emphyteuta compensationem Domino Directo obtulerit, sìcque per oblationem hanc dominium directum recognoverit, cessare causam caducitatis, adeóque ipsam caducitatem sustineo *cum Zoëf. loc. cit. n. 81. Hopp. ad Sphum inst. 3. de locat. Es conduct.*

XVII.

AN ex prædictis causis Emphyteusis ipso Jure, an vero de facto in commissum cadat, acris inter Doctores disputatio est; Licet *Mynsingerus 3. obs. 97. Et obs. 83.* sustinere contendat de facto, & à tempore oppositionis à Domino Directo factæ primitùs Emphyteusin caducam fieri, ejusque etiam sententia de praxi forsitan recepta existat. *Cum Bachovio ramen th. 12. litt. B. Et C h. t.* dico, ipso Jure Emphyteusin caducam fieri, ideóque Emphyteutam ad fructus à die Emphyteusis commissæ de retrò teneri, demptis tamen expensis, quæ fructuum causâ ab Emphyteuta factæ sunt, cùm fructus non sint, nisi deductis expensis *L. 76. in fin. ff. de petit heredit.* Quid de meliorationibus ab Emphyteuta factis, & in ipsa re Emphyteutica durantibus dicendum sit, anxia quoque quæ-

quæstio est : eas animo recuperandi factas pro rata , pro qua
res meliorata existit , Emphyteutam ad instar coloni recupe-
rare posse non dubiè defendam. Argto L. 61. ff. de locat.


XVIII.

Emphyteusi caducâ factâ , poterit Dominus Directus pro-
priâ authoritate ipsum Emphyteutam expellere. Argto.
L. 2. de Jur. Emphyt. Nisi Jure caducitatis sibi quæsito ,
vel tacite vel expresse renunciaverit , & licet Dominus Direc-
tus caducitatē jam incursâ , & ad cœssos canones , & ad ca-
ducitatē simul agere possit , acceptando tamen canones cœs-
sos sine protestatione de salvo sibi Jure caducitatis , ipsum Jus
caducitatis tacite remisissé intelligitur. Bluemblach. de Jur.
Emphyt. n. 1. Et seqq. Mull. th. 63. litt. I. not. 1. 2. 3. 4.
Et 5. Stryck. de caus. sect. 2. cap. 3. §. 50. Guid. Pap. q.
171. Fach. 1. controver. 99. Anton. Faber ad C. de Jure
Emphyteut. defin. 6. Sin verò & canones jam cœsos , & fu-
turo tempore cedendos Dominus Directus acceptaverit , in-
distinctè , sive protestatio de salvo sibi Jure caducitatis inter-
posita fuerit , sive non , caducitatē remissam esse unanimis
statuminat Doctorum Schola , cui adhæreo , & huic Disputa-
tioni inaugurali finem impono.

Interim

Interim siquid in hisce pagellis minus aptè
positum inveneris Benevole Lector! quin
hoc temporis angustiæ, & tenuitati
meæ adscribere velis, tener-
rimè efflagito.

F I N I S.



COROL-



COROLLARIA.

I.

Ecclesia sive traditione Dominium acquirere potest.

II.

Status Imperii Romano - Germanici non est absolutè Monarchicus, nec absolutè Aristocraticus, minimè Democraticus, sed ex Monarchia, & Aristocracia mixtus.

III.

Textum. 2. feud. 42. non de feudo ex pacto & providentia majorum, at de hereditario mixto accipendum esse, dicunt practici.

IV.

Illegitimi per subsequens matrimonium putativum non legitimantur.

V.

Triplex generis sunt transmissarii, alii enim sunt ex Jure suitatis, alii ex Constitutione Theodosiana, ex Jure deliberandū alii denique, & hos omnes substituto Judico præferendos.

C

VI

VI.

Nepos ex filio seniore à Jure primogenituræ excludit patruum,
seu filium secundò genitum.

VII.

Ex intermedio matrimonio natus in Jure majoratūs , seu primo-
genituræ præfertur primo illegitimè nato , & per secundum ma-
trimonium legitimato ; hinc

VIII.

Quæstionem : an filio Nobili Natumajori illegitimè nato , per se-
cundum matrimonium legitimato competit nobile præcipuum , vulgo
das adliche Vortheil , in statutis Ducat. Jul - Mont. cap. 93. expref-
sum præ filio natuminore ex primo tamen matrimonio genito ? con-
tra Hunnium var. resolut. lib. 3. tract. 1. q. 27. negandam , Nobilé-
que præcipuum secundò quidem , sed ex primo matrimonio nato
adjudicandum fore sustineo cum Keeff. I. de Nupt. n. 86. Glette p. 1.
q. 9. Rosenthal. 7. concl. 18. n. 8. & Forster de successl. 6. cap. 25.

IX.

Ex Chirographo reddito debitum remissum vel solutum præsumi-
tur , ex pignore reddito non item.

X.

Filia 12. annorum in eodem casu fatali cum parente perieus , pa-
renti supervixisse , at filius licet 13. annorum parenti præmortuus
præsumitur:

XI.

XI.

Testamentum licet ratione voluntatis imperfectum, valet ad piam causam, secus inter liberos.

XII.

Renunciatio successionis favore stemmatis facta, semper reservativa præsumitur, ideoque stemmate extincto res reducitur ad causam, ac si nunquam renunciatum fuisset, & quomodo tunc successio regulanda veniat, petenti respondebo.



SERTA
J

QU

OFFICIO

NCTISS

T R

MA&PERANT

AILIBUS, CL

VIR

I GERAR

Offic Ordinario

D. GUIL

2. Professore Ordin

Unquenda in ut


In pu

SELIUS TH

Anno MD

Cologne typis GE

Cm Priv



Centimetres **TIFFEN® Color Control Patches**

© The Tiffen Company, 2007



Inches **TIFFEN® Color Control Patches**

Centimetres

3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19



TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007